



Kem  
232 (1-28)

91

IN  
**PAEDICATOREM**  
NOXIVM ET INFESTVM  
REI PVBЛИCAE CIVEM

• • • • • • • • • • •

PRAESIDE

**PETRO IMMANVELE HARTMANNO,**

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.  
PUBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

**DOCTORIS MEDICI**

HONORES CAPESSVRVS

D. IVNII CI<sup>E</sup>I<sup>E</sup>C CLXXV.

PUBLICE ANIMADVERTIT

**DAVIDES HENRICVS STOLTENBERG**

LUBECCENSIS.



---

TRAJECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

---

PVLPIA DOREM

RELIQUAT GIVIA

*Sanctum nihil est et ab inguine tutum.*

IVVENALIS.



VIR ODE 192

PRAENOBILISSIMO CONSULTISSIMO  
AMPLISSIMO DOCTISSI-  
MOQVE  
IOANNI FRIDERICO  
STOLTENBERG  
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI  
PATRI SVO  
MAXIMA PIETATE  
COLENDOD  
A 2 SPE-



S P E C I M E N H O C  
I N A V G V R A L E M E D I C U M  
G R A T I S S I M I A N I M I  
P V B L I C U M Q V O D D A M D O C V M E N T U M  
E X H I B I T V R V S  
E A  
Q V A D E C E T , V E N E R A T I O N E D A T , D I C A T ,  
D E D I C A T  
F I L I V S O B S E Q V I O S I S S I M V S  
D A V I D E S H E N R I C V S S T O L T E N B E R G .

PRO-





## PROOEMIVM.

**M**agna rei publicae est felicitas, si ciuibus abundat; maior, si eorumdem plerique et animi, et corporis firmitate praestant, nullisque cedunt laboribus; maxima denique omniumque perfectissima, si post labores non desiderias molles, non marcida luxu otia, non intertes quaerunt somnos, sed naturae iussis obtemperant, vxorioque fruuntur leuamen-

A 3 to,




to, et procreandae educandaeque soboli operam dant. Scilicet haec vera frequentiarum incolis regionum sunt subsidia, hae optimae amplificandae rei publicae rationes: quarum in iuuando hominum incremento praestantior est vis atque efficacia, quam vñquam aliis artibus impetrari potest. Tollite plagiarios, o! principes, qui exteras regiones ciuibus exhauriunt; tollite inuitamenta hominum, qui plerumque, tanquam reiectanea purgamenta, patriis locis eiiciuntur; vestroque imperio subditorum honestissima coniugia praemiis, beneficiis, immunitatibusque excitate: tum profecto paucorum annorum interuallo vestræ ditiones tanta abundabunt ciuium multitudine, quantum sabuli mare littoribus infundit. Ad haec vero aliae quoque domesticae et velut in tenebris suae turpitudinis tegumenta quaerentes deprehenduntur pestes, quae

-03

A

longe

longe maiori atrocitate, quam verae pestilentiae, et bella, humanum genus lacerant, grauesque passim faciunt populationes: a quibus nisi feuerissime vindicentur res publicae, vix aliquot praeterlabentur lustra, quin ciuitates ciuibus orbae, terraeque colonis viduae reddantur. Ex quo enim tempore denuo aetas parentum, peior ausi, tulit nos nequiores, omne profecto decus luxus solutum, multaque oppressum nocte pudorem deprehendimus. Certant nunc homines in omne facinus, ipsis certe Sodomaieis vitiosiores. Quotusquisque fere nunc est, qui non sit nefandus, scortator, incestificus, masturbator, paedicator, et quid non? Tametsi vero omnia haec libidinosa facinora presso pede poenae sequuntur, tamen nocentiora mala pedissequa non habet ullum ex his libidinibus genus, quam ipsa plus quam bruta paedicatio. Quam, quoniam nunc in hominum



minum perniciem admodum frequentari coe-  
pit, ita luculentius describendam suscipie-  
mus, ut et pudoris habeatur reuerentia, ne-  
que ipsum scelus illustrius notiusque redda-  
tur; et singula tamen valetudinis sanitatis-  
que publicae detrimenta, quae inde eue-  
niunt, ex veris suis rationibus explicatius  
euoluantur. Honestissimam mercedem pro  
hoc labore consecutus mihi videbor, si vel  
aliqui tantummodo meis monitis ad me-  
liorem frugem se sruerint  
reuocari.



S. I.

## §. I.


**T**ametsi solleme sceleratissimae huius libidinis, cuius nunc pestiferos in humani generis sanitatem incolumitatemque effectus concisa descripturi sumus oratione, nomen ex graeco detorquetur fonte *a*), tantum tamen abest, ut primi demum post hominum memoriam Graii spurcissima hac Venere languescerent, ut potius effrena haec voluptas iam antiquissimis temporibus vel supra magnos gentium duces, virosque sapientiae studia prae se ferentes, viatrix exultaret, plurimosque populos turpissime effeminaret. Prima omnium huius sceleris vestigia exstant inter Sodomaeos; qui, sicuti sacrae referunt litterae *b*), ob nefanda huius generis facinora coelestibus ignibus sunt extinti. Neque tamen ceteras secutasque gentes vtorem Deum timuisse, et ab inhumano eiusmodi flagitio abstinuisse, vel exinde probabiliter potest confici, quoniam longe post excidium Sodomaeum ipse supremus legum lator sanctorum denuo hoc sceleratissimo facinore homines prohibuit, ipsamque eidem poenam proposuit internecionis *c*). Quin etiam contra, plerosque profanos homines verique numinis contemtores, huiusmodi vitiorum illecebris cupiditatumque lenociniis duci, gloriōsum existimasse honorificumque, vel ex his magna videtur esse significatio, quod ipsis commentitiis suis diis paedicatores inseruerint, Quis enim, verbi caussa, nescit rapti Ganymedis honores? Cui non dictus Hylas? In pri-

B mis

*a)* Videsis §. II.

*b)* Genes. Cap. XIX, vers. 5.

*c)* Leuitic. Cap. XVIII, vers. 22. et Cap. XX, vers. 13.



mis vero Graeci, licet et optimarum artium cultura, et sapientiae studio omnibus reliquis gentibus ista aetate maxime praestarent, tamen in huius quoque nequissimae artis frequentatione variaque cuiuslibet mollissimae libidinis inuentione omnes ceteros homines maximo anteierunt inter-  
vallo. Ipsumne putetis Socratem, sapientissimum omnium ab Apolline dictum, qui primus, tanquam parens, philosophiam, praecipue moralem, e coelo deuocasse, voluptates nullo numeraste loco, animique magnitudine excelluisse est existimatus; eundemne, inquam, putetis hac a labe fuisse immunem? Certe Phaedon, *inter Socraticos notissima fossa cinaedos*, temperantiae laude Socratem priuauit d). Romanorum primam aetatem morum quidem simplicitas frugalitasque rexit: mox autem, auctis diuitiis, profulissima luxuries vniuersum populum Romanum quoque corruptit, puerorumque introduxit corruptores. Quid Caesares referam paedicones cinaedosque? Quid innumeros alias huius sceleris reos? quorum infamem flagitiis memoriā plures rerum Romanarum scriptores conseruārunt. Quotusquisque est, qui non erubescat, si spurcissimum illud Catullianum: *Paedicabo ego vos et irrumabo*, legerit. Hinc etiam diuinus P A V L V S, flagitosos istorum temporum mores detestatus, in epistola ad Romanos data e), in haec quoque scelera animaduertit. Atque nunc sperari omnino poterat, postquam sanctior Christi disciplina hominum animos criminibus purgauerat, morum inter-

grita-

- d) Conferatur ARISTOPHANES in *Nubibus* passim, et ipse illustris ALBERTVS de HALLER in carmine inscripto: *von der Falschheit menschlicher Tugenden: vers. sequent. Was war ein Socrates? ein weicher Wollüstling: &c.*
- e) Cap. I. vers. 27.

gritatem innocentiamque etiam esse reddituram. Verum enim vero, sicuti perpetuo *gens humana ruit per vetitum nefas*, ita etiam ad nostram vsque aetatem diuini numinis abutimur patientia, et vbique fere his quoque inhumanis libidinibus contaminamur. Verissime omnino et velut praesentis temporis moribus accommodate canit MARCELLVS PALINGENIVS, censoriae grauitatis poëta: *Quid tot, scribens f), supra loquar? sunt cuncta libidine plena: Et passim prostant, et clam foduntur ephebi. Quis non moechatur? Quocunque placet, circumspicite, letores probi honestique!* In procerum aulis masculas virtutes ne quaeratis, sed masculam Venerem. Inter milites praefecti passim cum manipularibus et gregariis nocte dieque subant, hesternae occursum coenae merdosisque solanorum tuberosorum panisque militaris reliquiis. Litterarum artiumque cultorum corpora, quorum mores disciplina emolliri debebant, his lasciuiosis artibus adeo emolliuntur, ut anseris medullula fiant molliora. Mercatorum ciuiumque aliorum subditio hoc igne calentes societas, quas ipsi vocant, quis non nouit? Sed taedet omnino nos recensendis pluribus scelestissimorum huiusmodi hominum ordinibus immorari.

### §. II.

At vero ne in tanti sceleris descriptione verecundiae fines transiisse videamur; quanquam de turpissima re verecunde satis scribi posse merito dubitari potest: id saltem agemus, vt primo ipsius flagitii admittendi rationes quam breuissime describamus, dein ipsarum earundem corporis

B 2

f) In *Zodiaco vitae*, Libr. VI, vers. 118.



poris humani partium, quae peruerso hoc naturaeque prorsus inimico abusu laeduntur, fabricam et cum nobilioribus vniuersae nostrae machinae partibus nexum confensionemque explicemus, et ex his *denique* irreparabilem certamque valetudinis iacturam, quae eiusmodi scelestissimos viros exspectat, siue sint actores, siue pathici, luculenter demonstremus. Exinde enim haud difficile erit intellectu, quam noxious, quamque infestus rei publicae ciuis sit pae-dicator. Est autem *paedicatio*, quam etiam *paedicatum*, *paederastiam*, et *paedomaniam* passim vocant<sup>g)</sup>, cuiusque sectator significantius *κυσταροσκατηρ* aut *κυσνιστης* dici mereretur, masculi cum masculo congressus per ea loca, quae natura exituris fecibus aluinis destinavit. Actorem siue puerorum iuuenumque corruptorem, qui abutitur ea parte, qua vir est, aliosque effeminat, *paediconem* siue *paedicatorem* vulgo appellant; qui dat vero sui corporis copiam, et dishonestissime se effeminari patitur, *pathicus*, siue *cinaedus* dici solet. Plura alia nomina, quibus nequissimi huiusmodi homines passim a poëtis insigniuntur, lubenter praetermittimus: ne in re nauci nimis laborare videamur. Sed fuerunt quoque interdum *cinaedae*. Quippe adeo eodementiae libidinisque progressa est gens humana, ut essent quoque, qui legitimum muliebrium usum respuunt, et merdosos seminarum subagitant sulcos. Intuitu tandem obsceni, qui patitur, loci paedicatio differt ab *irrumatione*, aequo flagitosissimo scelere: de qua differere, nostri nunc non interest instituti.

### §. III.

<sup>g)</sup> Omnes hae voces sunt graecae originis: *a τωαις*, *δος*, *puer*, et *ερασης*, amator: itemque *μανια*, furor.

## §. III.

Contra ea nostri potius refert propositi, ad singulas eas partes, quae in obscene hoc opere et agunt, et patiuntur, in tantum aduertere animum, in quantum luculenter exinde intelligi potest, quanta laborent eiusmodi homines iu charybdi. *Autorum* (§. II.) *instrumenta*, quibus parariis lasciuunt, licet eadem sint, quae natura in viris procreandae ex honestis vxoribus soboli destinavit, neminius esse voluit ignota, tamen accedunt quaedam in peruerso hoc aetu, quae eorundem integritati sunt infesta: quemadmodum haud difficulter ex ipsarum harum partium stratura, si paullo consideratius spectetur, apparebit. Quam vero cum ex dissectorum demonstrationibus physiologorumque institutionibus repeti volumus, mea ex his tantummodo tangemus, quae potissimum in spurcissimo hoc opere attentionem merentur. Virilis mentulae anteriorem eminentioremque partem, quam vulgo glandem vocant, natura omnium utilitatum prouida mobilissimo quodam texit inuolucro, cui praeputio nomen est: quod interna sui parte tenerrimam habet cuticulam, glandi vrethraeque superiniectam, inferneque in plicam cutaneam, frenulum appellatam, ita collectam, filo que ad vrethrae ostium excurrente ita alligatam, ut reuolui quidem super glandem praeputium possit, neutquam tamen supra modum, nisi simul et glandi, et vrethrae ductui, et ipsis vasculis praeputii cutaneis, cum interiori vasculo so pen is vrethraeque systemate communicantibus, vim inferri velis h.). Atque ipsa glans, crassius illud et fere semiconicum penis capitulum, textu-

B 3

rae

b) Conf. illustris de HALLER Elementi physiolog. Tom. VII. pag. 435.  
seq.



raeque cauernosae, vrethram ambeuntis, additamentum, et cum corporibus penis cauernosis arte connexum, ea ipsa sede, qua frenulo committitur, acerrimi deprehenditur sensus; vt, quomodocunque has laeseris partes, siue compressione, siue frictu tricuque fortiori, partim tam profunda, quam dorsalia penis vascula vtriusque generis intransmittendo sanguine vehementer turbes, vicinasque partes simul in consensum turbati motus sanguinei trahas, partim in adeo neruosa parte, qua vix alia est neruosior, summos excitaturus sis dolores, immo conuulsiones, ob originem ex ischiadico sacrisque neruis ductam, non modo ad vicinas partes, vrethram, vesicam vrinariam, anumque, sed profecto etiam ad vniuersum corpus propagatus <sup>i).</sup> Sed in interioribus quoque genitalibus partibus paedicatori non omnia aequa bene et salubriter accidentur, ac illi, qui naturali moderataque vtitur Venere. Quippe, vti protinus exponemus, ad excitandum iustum legitimumque seminis masculini profluvium iusta quoque legitimaque, neutiquam coacta atque ipsi naturae prorsus contraria, irritatione opus est. Ita enim summus opifex fabrefecit huius nobilissimi liquoris colatoria atque receptacula, vt aliquis eorundem cum animae imperio sit consensus, si istis finibus, quos praefixit natura, conuenienter adsignentur; dissensus autem et velut extorsum planeque coactum obsequium, quotiescunque repugnante natura ad nefarias libidines coguntur. Quem enim hae faciunt, vesanus generis neruosi tumultus tanto magis eneruat, tantoque certius vires infringit, quanto maior ampliorque eorum neruorum,

<sup>i)</sup> Haec omnia liquido constabunt atteinte legenti ea, quae illustris de HALLER loc. cit. et seq. amplissime hac super re exposuit.

uorum, has qui adeunt partes, cum vniuerso fere reliquo systemate est nexus, quantoque absolutior consensio. Quippe alii horum cum spermatico ductu ad testes descendunt <sup>k)</sup> partim ex ipso trunco intercostali, partim ex miris eiusdem cum octauo pare coniunctionibus illaqueationibusque, nempe ex plexu renali, mesenterico maximo, mesocolicique radicibus, partim denique ex aliquot vertebralibus lumbalibusque: alii vero ad exteriora genitalia abeunt nerui <sup>l)</sup>, partim ex hypogastrico plexu, partim ex ipso vastissimo neruo ischiadico, oriundi, et non dictis modo partibus, sed vicinis etiam omnibus, vrethrae in primis bulbo, recto intestino, anique sphincteri, mirifice intertexti. Ex quo facile appetet, quantae, ob artissimam dictorum neruorum cum potioribus corporis humani nervis consensionem, futurae sint omnium actionum animalium, vitalium, naturaliumque perturbationes, si, non naturae postulata, non turgentis boni laudabilisque seminis copia, sed sola absurdia atque corrupta imaginatio depravataeque consuetudinis vis atque incitatio nervis impellant, succumque seminalem, inuitis omnibus organis, expellunt.


#### §. IV.

Verum enim vero *cinaedorum cinaedarumque* (§. II.) etiam partes, ignominiosae huius Veneris impetus expertae, non profecto habent, cur de turpis suo obsequio valde laetentur. Considerate enim, letores, ipsam harum partium concinnam fabricam, longe aliis usibus a sapientissimo

<sup>k)</sup> Vide *sis illistris de HALLER Element. Physiolog.* Tom. VII. pag.

438. seq.

<sup>l)</sup> Confer *ibidem*, pag. 516. seq.



mo opifice accommodatam. Ut enim ima esset excrementorum via, et tam expellendis iisdem, quam ad aliquod temporis spatium ob munditiem retinendis aequa apta, rectum intestinum, dum a colo descendit, vnde a ligamentis colicis, in vaginulas velut carneas, ex longitudinalibus fibris constantes, sensim diductis, circumdatur: quibus, ad maiorem huius loci firmitatem, circulares adiunctae sunt fibrae, ad tubi finem tandem in teretem tumentemque circulum collectae, quem anatomici sphincteris interni nomine designare solent. Ipsum autem huius intestini, magna plicarum interpositorumque glandularum mucosarum copia intrinsecus distincti, ostium admodum deprehenditur arctum rotundumque, plicis cutaneis, stellae in modum fere dispositis, velut implicatum: cui, tanquam cutaneo tegumento, subiicitur externus ani sphincter, non solum prioris in comprimento coarctandoque ano comes adiutorque, verum etiam vicinarum partium, quas simul ex currentibus suis fibrosis fasciculis illaqueat revincitque, muscularum nimirum ani levatorum, transversorum, coccygeorum, acceleratorumque virinae, nec non bulbi vrethrae, itemque in feminis vaginae constrictoris, quodammodo rector moderatorque. De quibus omnibus accuratius exponentes anatomicos consuli oportet m). Praeter haec autem magnus etiam in iisdem locis, in quae nefandi isti arietatores turpiter arietant, vasorum neruorumque est concursus: vnde omnino fieri non potest, quin hoc ex abusu suarum, quas perreptant, partium variae oriturae sint laesiones. Nervorum idem omnino sunt trunci vicinaeque propagines, de quibus paullo antea (§. III.) egimus

m) *Ibidem*, pag. 144. seq.

mus<sup>n</sup>). Quod ad sanguifera vero vasa attinet, arteriae ad im-  
haec loca descendunt partim posterius ex mesocolicae sini-  
strae ramis, partim ex hypogastricarum ramis haemorrhoides,  
medio externisque, aliisque variis minoribus vicinis, mul-  
tiplici inosculatione inter se coniunctis. His autem comi-  
tes additae venae partim venae portarum, partim cauae redi-  
turum ad cor sanguinem infundunt. Isti quidem ministrat  
sanguinem haemorrhoidae interna, mesocolicae, rarius  
ex splenica, frequentius ex mesenterica oriundae, ramus:  
huic vero haemorrhoidae, et media, et externae, varico-  
sis tumoribus saepissime laborantes, et intermediis venosis  
truncis, pudendo, circumflexo, communique, cum hy-  
pogastrico systemate continuae, sanguineum liquorem ad-  
ducunt o) Quod si igitur adeo irritabiles, adeo acri sensu  
praeditas, adeo tenerimis et succi plenis vasculis refertis-  
simas partes permolueris, contuderis, discuneaueris, dis-  
ruperisque, o! insane, quantum putabis detrimenti esse  
subsecuturum? Nam, quae ex interiori tubo intestinali ipsa  
foras propellit natura, per vias, admirabili artificio reclu-  
sus, ipsa ducit: extrinsecus vero immittendis, quin adeo sae-  
pius exiguo tubulo, clyisma transmissaro, vias occludit.  
Sed, quae est paedicatorum insania, nec his praua defue-  
runt artificia, quibus naturae prouidentiam eluderent, at-  
que praeculosos aditus superarent. Scilicet tot fomentis,  
tot clysmatis, totque vnguentis has emolliunt laxant-  
que partes, vt tandem dishonestissimo imperio cedant, si-  
mul vero omnibus istis malis, quae solidorum debilitas la-  
xitasque inducere potest, succumbant.

## C

## §. V.

n) Ibidem, pag. 168.

o) Ibidem, pag. 161. seq.



## §. V.


Sed, ne haec, quae proposuimus, sine probatione dimisissæ videamur, suscepta instituti ratio postulat, ut articulatim distinetque disputemus, et vnumquodque eorum malorum, quæ, tanquam poenæ comites, cinaedos paedicatoresque exspectant, singulatim expendamus. Verum enim vero quoniam inter hos tristissimos euentus sceleratissime admissæ paederastiae plurimi omnino sunt, qui etiam ceteras libidines, naturæ ordini aduersantes, verbi causa, masturbationem, irrumationem, aliosque infames κατὰ μεταμάζει καὶ μασχάλην lusus, itemque seminarum lascivias confrications, strenue sequuntur, et in tergo velut haerent: malui *communia* haec mala, ab aliis idoneis scriptoribus serio grauiterque exagitata, in summam tantum colligere, partim ne libelli academicæ limites transgrederer, partim vero ut ab aliorum sententiis in opusculum hoc meum transfundendis calamo temperarem. De iis vero morbis et illaetabilibus effectibus, quos paedicatoris speciatim singulariterque pedissequos habet, accuratius exquisitusque disputabo, ut proposito instituto, quoad eius facere potero, satisfaciām. Sunt vero inter has quoque summo iure meritoque adquisitas corporis adflictiones nonnullae, quae ad haec saepe numero alia etiam aduentitia mala, ipsis istis primariis, quibus superueniunt, longe peiora, secum trahunt. Ad quorum numerum refero omnia illa humorum lymphaticorum serosorumque inquinamenta, quae qualicunque contagio se propagant, viresque eundo adquirunt. Quoniam enim ipsæ illæ corporis partes, quibus paedicatores cinaedique vtrinque pessime abutuntur (§. III. IV.), innumeris fere bibulis venis abundant, insuperque etiam

copio-

copioso aut muco, aut vnguine, illinuntur, fieri omnino non potest, quin quaelibet impura materies, cuiuscunque sit generis, per adfectionem iisdem in locis detersa atque reposita, expeditissime a venulis suscipiatur, totique humorum massae confundatur. Eo ergo nomine omnes adfectus scabiosi, scorbutici, atque serpiginosi, aliique singuli, cutaneum contextum pustulis ulceribusque corruptentes, in primis si in obscenis habitent locis, facillimo transgressu ex paedicone in cinaedum, et ex hoc in priorem, transrepent, et impurissimae Veneris praemia referent. Prae reliquis vero communissimum illud libidinosorum hominum flagellum, venerea lues, quo nunc maxime Deus vltor turpissima voluptatum studia vindicat, inhumanis quoque paedicatorum artibus imminet, eoque vehementius huiusmodi homines corruptit, quo aptiora suscipiendo contagio sunt ista loca, quae peruersae huic Veneri litant. Extant omnino passim varia digna memoratu exempla, cum a nonnullis grauissimis magnaeque fidei scriptoribus in commentarios relata, tum constanti fama omniumque sermone perulgata; quae, quam virulento tabo detestabilis haec Venus suos imbuat cultores, vel nuper admodum luculentissime sunt testata. Ex posteriorum horum exemplorum numero nulla tangam, ne, quo apertior, eo molestior futura sit veritas. Ex prioribus vero sufficiat eorum meminisse, quae vir clarissimus artisque chirurgicae scientia celebris, COSTAEVS iunior, accurate copioseque descripsit<sup>p)</sup>: ex quibus omnino constat, quam atrocias et tantum non infanabilia venereae corruptionis sym-

C 2 pto.

<sup>p)</sup> In *Traité de la Vérole et de toutes les maladies veneriennes*: à Berlin, 1769.  
Obseruat. XXV. XXVI. et XXVII. collat. cum Obseruat. VII.



ptomata postico hoc in tramite comparentur. Sed haec satis sint de adscitiis his malis, non ex sola paedicationis indele, sed ex accessorio et frequenter obuio inquinamento, oriundis dicta.

### §. VI.

Venio nunc ad *communia* ista omnium paene Onanicorum scelerum peruersarumque voluptatum venercarum consectoria, quae et paedicatores potissimum manent; quippe qui non solum in cassum effundunt nobilissimum liquorem spermaticum, verum etiam ob patientis et admittentis partis angustiam varia ratione ipsum prolesti semenis effluxum retardant. Quorum malorum omnium indolem numerumque summatim tantummodo, ut supra iam monui (§. V.), recensebo: quoniam post notissimam illam *pædiav* Anglicam, quae *Onania* inscribitur, aliosque varios eiusdem argumenti commentarios, nuperrime in primis celeberrimus vir, *TISSOT*, et alias quidam *avavros q,* in hac materie absolute subtiliterque pertractanda, magna cum laude versati sunt. Quo autem lectors vnico velut intuitu omnia haec mala, quasi in tabula picta, sibi proposita habeant, placet hic illustris *HIERON. DAVIDIS GAVII* breuem aequem, ac concinnam subiicere descriptionem. *Immoderata*, inquit r), *seminis profusio*, non solum utilissimi humoris iactura, sed ipso etiam motu conuulsino, quo emititur, frequentius repetito, in primis laedit.

Ete-

- 2) Prior in libra: *Von der Onanie oder von den Krankheiten, die von der Selbstbefleckung herrühren;* edit. german. Isenacem. 1769: posterior vero in opusculo: *Der in den übeln Folgen der Selbstbefleckung sicher ratende Arzt;* Lipsiae, 1769.
- r) In *Institutionibus Patholog. medic.* §. 562. Edit. Lugd. Batau. 1758.

Etenim summam voluptatem vniuersalis excipit virium resolutio, quae crebro ferrinequit, quin eneruet. Colatoria autem corporis, quo magis emulgentur, eo plus humorum aliunde ad se trahunt, succisque sic ad genitalia deriuatis, reliquae partes depauperantur. Inde ex iunia venere laffitudo, debilitas, immobilitas, incessus delumbis, encephali dolores, calores, conuulsiones; sensuum omnium, maxime visus, hebetudo; caecitas, fatuitas, circulatio febrilis, exsiccatio, macies, tabes et pulmonica, et dorsalis, effeminatio. Augentur haec mala, atque insanabilia sunt ob perpetuum in Venerem pruritum, quem mens non minus, quam corpus, tandem contrahit, quoque efficitur, ut et dormientes obscena phantasmatu exerceant, et in tentiginem pronae partes quavis occasione impetum concipient, onerique et stimulo sit quamlibet exigua reparati spermatitis copia, levissimo conatu, et vel sine hoc, de relaxatis oculis elapsura. Quocirca liquet, quare adolescentiae florrem adeo pessimumd iste excessus. Haec G A V B I V S.

### §. VII.

At licet profecto nesciam, quonam fieri dicatur fati, vt nulla calamitas deprehendatur sola: hoc tamen probe intelligo, quonam optimo iure, praeter iam exposita infiniti numeri mala (§. VI.), et istos, qui corrumpunt masculos, et hos, qui corrumpi se patiuntur, aliae adhuc calamitates valetudinisque iacturae speciatim singulariterque, vt iam monuimus, insecentur. Quippe diuinae intererat iustitiae, ne ipsae illae hominum partes, quibus naturae, a se conditae atque institutae, legibus temerario atque peruerso modo illuditur, admissorum scelerum imputitatem adsequerentur. Ergo et lascivienti extra naturae fines men-

C 3

tulae,



tulæ, et impudentius obsequioso anno praestitutaæ sunt poe-  
nae: quas omnes singulasque diligenter nunc perquiremus.  
Ad simplicissimas autem solas nostra nunc pertinebit ora-  
tio: nulla omnino habita eius rei ratione, quae easdem  
has istarum partium adflitiones accessorio siphylitico vene-  
no peiores corruptioresque factas offert. Has enim iam  
supra suo tetigimus loco (§. V.). Ecce tibi numerum eo-  
rum morborum, quos passim ipsimet in diuersis huius ge-  
neris voluptariis hominibus obseruauimus, aut ab aliis  
aceperimus obseruatos. Primo nempe *pædicatorum* impu-  
dicam partem saepe numero, post infames istos lusus, oc-  
cupant incendia tam totius penis, quam solius glandis;  
ecchymomata; intertrigines atque vesiculae crystallinae;  
phimoses, paraphimoses, tumoresque crystallini; satyria-  
ses priapismique; variae mittendi lotii difficultates; disrup-  
tiones frenuli coniunctaeque interdum haemorrhagiae;  
ipsorum quoque testium spermaticique funiculi tumores;  
tandemque gonorrhœa, nomine quidem benigna, sed  
sanationi maxime maligneque aduersa. Taceo, quippe  
aliis quoque sceleribus Onaniticis familiarem, succedentem  
deum perfectam, et vxoriae coniunctionis, et procrean-  
dae sobolis impotentiam. Deinde vero in *cinardos* quo-  
que ea speciatim parte, qua peccant, multa inferuntur ma-  
la: intertrigines nempe serpiginosæ; ruptions perinaei,  
eiusdemque saltem inflammations, abscessus, atque ulce-  
ra; ipsius porro ani rhagades, erysipelata, lacerations,  
ulcera, tandemque fistulae; haemorrhoidales affectus variis  
generis; condylomata multiplicis formæ nominisque;  
sphincterum spasmitenescitidei, aut paralyses, anique pro-  
lapsus, et spontaneæ fecum aluinarum defluxiones, cum


va-



variis diureseos vitiis, ex partium vicinitate consensuque ortis. Quibus addi possunt nonnulla vaginae muliebris incommoda, iis accidentia feminis, quae, Cinaedorum more, praepostere se iniri patiuntur.

### §. VIII.

De his igitur omnibus seorsim nunc dici oportet; vt, quomodo tot tamque varia mala ex uno eodemque scelere enasci possint, ex rationibus suis constet. Primo ergo paedicatorum, dein cinaedorum singulas persequemur calamitates. Inter istas autem poenas, quas de honestata natura a paediconibus suo repetit iure, primo posuimus loco *penis*, in primis glandis praeputioque, *inflammationem* (§. VII.). Quamcunque enim incendi sanguinei originem sedemque existimaueris, siue *BOERHAAVII*, siue aliorum sententiae inhaerens, in hoc tamen cum omnibus singulisque ictis pathologis certissime consenties, fieri omnino non posse, quin, si partes quaedam qualescunque corporis humani viui, praecipue sanguiferorum vasculorum apparatu abundantes, fortius contundantur, vehementiusque constringantur, hoc ipso in loco restagnaturus sit sanguis, incendiique fomitem excitaturus. Atque haud alia fors mentulam exspectat paedicantem. Glans enim, velut veteris arietis bellici capitulum, obtruditur ani angustiis, validissimisque sphincterum renibus: adeo, vt tenerima haec pars interiores cauernulas suas, congesto sanguine turgidas, vehementissime contundat, immo elidat. Quod si demum putida dea Pertunda fauerit ausui, tunc indignabundi violatae huius partis sphincteres totum lasciuientem arietem, torcularis chirurgici instar, arctissime quoquo ver-



versus constringunt, omnesque eius sanguiferos canales, in primis dorsales, situ suo viciniores (§. III.), ita compingunt, ut transiū interdicatur sanguis. Adde, hā ipsa vi, quae intrudendo peni impenditur, ita longissime retroagi praeputium, ut frenulum, sensilissimae glandis parti annexum, nisi semper vere rumpatur, tamen coniunctum interius vrethrae inuolucrum summopere extendat, et hac quoque ratione interiora huius partis vascula efficacissime constringat. Adde denique ipsos ad acerbiorē sensum hic incitatos neruos copiosiorem quoque ad dolentia loca sanguinis allicere adfluxum. Atque haec omnino vera est saepius oriundae in his partibus a paedicatione grauissimae inflammationis ratio. Pone etiam, infames aliptas suo hic functos esse ministerio (§. IV.): tamen, nisi penitus sint lacerati, nunquam profluis suo deerunt officio sphincteres, a molesto ludibrio, quantumcunque poterunt, se vindicaturi. Accidit porro interdum, ut dictis ex caussis, sub impura hac equitatione, partim ab affrictu aut acri sero, ad intestini exitum delapso, epidermis in pene elidatur aut erodatur; partim saltem hincinde sanguis in incruenta vascula aut cellulas subcutaneas, compressionis efficacitate, impellatur; partim denique, eadem de caussa, qui exhalari debebat, vapor serofus passim, mota epidermide, in bullulas coerceatur: vnde paedicatorum phalli, tanquam laborum praemia, hic *vesiculas crystallinas*, illuc *ecchymata*, istic vero *intertrigines* (§. VII.) reportant. Quando vero, ut etiam paediconibus saepe numero contingere solet, inflammatio praeputium praeципue occupat, ut hoc ipsum, sub laborioso in primis isto impuriae Veneris actu, retro glandis coronam actum, antrorum reduci se haud

pa-

patiatur, aut, mutata ratione, idem anterius contractum glandis denudationem non permittat: hic *phimosis*, illic *paraphimosis* accessit. Eadem denique caufa, quae vesiculas istas crystallinas glandis excitare potest, efficit quoque nonnunquam, ut, humore aquoso per contextum praeputii cellulosum effuso, vniuersum hoc cutaneum involucrum *tumore crystallino* mirifice intumescat.

§. IX.

Frequens quoque admodumque sollemne iis, qui in alios masculos turpiter pruriunt, accidit duplicitis generis malum, quod *Satyriasis* atque *Priapismi* nomine pathologi designant (§. VII.). Quandoconque enim libidinosi hi homines pro ea, quam animus corpusque ipsorum contraxit, corruptione in perpetuum ad obscena phantasmata pruritum concitantur, amplissimumque istud genitalium organorum neruosum sistema (§. III.) in inopportuno coarctatoque anitubo, quo efficacior est renisus, eo vehementius stimulatur, fieri omnino nequit, quin etiam a perexigua reparati semen copia in voluptariam tentiginem impetus renouetur, *Satyriasis* auctor effectorque. Sed adde tunc leues harum partium inflammations, itidem paedicationis pedissequas; adde coniunctos frequentiores grauioresque neruorum horum stimulus: tum profecto tetanus totius mentulae aut alterius tantummodo partis superueniet, *Priapismi* aut *Chordae* nomine denotatus. Verum enim vero tot incendiorum, totque spasmodum opportunitates, in quas impurissimi paedicones semet ipsi coniiciunt, ad vrethrae quoque fines transmittuntur, atque hoc emittendi lotii organon, laesis varia ratione sphincte-

D  
ste-



eteribus, multiplici quoque modo vitant, ut hinc *stranguria*, *dysuria*, atque *ischuria* haud infrequentes paediconum sint poenae (§. VII.). Frenulum porro ab obsecna sordidaque hac arietatione subinde rumpi, iam ante (§. VIII.) diximus. Atque hac ab laesione ex vasculis dorsalibus, circa hunc locum varia inosculatione implicatis, sat graues profusasque accidisse *haemorrhagias* (§. cit.), exempla prostant. Ipsi demum testes et, qui ad eosdem excurrit, spermaticus funiculus sua in paediconibus experiuntur fata. Quippe partim copiosior frequentiorque seminis effusio, cui isti homines vacant, partim ipsa ad Venerem incitata imaginatio, partim varia inflammacionum spasmorumque genera, quae hic ab admisso scelere subnascuntur, quaeque paullo ante tetigimus, efficiunt omnino, ut arteriae seminales largiorem seminalis succi copiam adfundant, ipsa tamen testium cola, per quae elaboratum semen transmitti debet, saepe numero contractilibus deficient viribus, et laxitate insigni laborent. Ergo, redundant in his loculis semine, *testes* ipsi atque *funiculi spermatici* vascula haud raro, non sine acri interpositorum neruulorum dolore, intumescere, immo etiam indurescere incipiunt (§. cit.). Ut omittam, incensum inflammatumque penem subinde quoque vicinas has partes in incendii pertrahere consensum. Atque eadem denique caussae, a quibus tumentium testiculorum ortum in paediconibus deduximus, tantae quoque sunt efficacitatis, ut, si praecipue nonnullae aliae lascivi generis opportunitates, quas luculenter, ut solet, subtiliterque exposuit vir celeberrimus, TISSOT<sup>s</sup>), accesserint, huiusmodi libidinosis hominibus non solum

im-

<sup>s)</sup> In libr. citat. pag. 218, et seq.

---


*immundo somnia visu Nocturnam vestem maculent, ventremque supinum: verum etiam postremo tantam organorum internorum genitalium, potissimum vesicularum seminalium, producant atoniam, quae largo spontaneoque spermatici liquoris fillicidio (§. cit.) virilia corpora eneruat, et, si forte postea, liberorum procreandorum causa, legitimo et naturae iussibus conuenienti destinantur usui, inertes truncos, species, atque inutilia relinquunt pondera, nunquam inguinis effoeti parte iuuante fruitura. Sed haec de paedicatorum calamitatibus sint satis.*

§. X.

Supereft, ut in eorum quoque damnorum, quae cinaedis turpe parat obsequium (§. VII.), origines curiose inquiramus. *Intertrigines serpiginosque*, quae supra in rectione horum morborum agmen ducunt, haud alia ad annum nascuntur ratione, ac ad penem: quippe hoc in scelere binae hae partes, aequali nisu renisuque motae, utrinque maxime (§. VIII.) conferuent. Quod vero ad *perinaei vicia*, quorum supra mentionem iniecimus (§. VII.), attinet, mirari omnino nemo potest, quicunque arctiorem eiusdem cum vicinis proximisque partibus coniunctionem, et subiectas varias vasculorum sanguiferorum complications, considerauerit, quod, dum putidae ani fossae ab improbissimo cuneo aguntur, hoc quoque intertensum tegumentum a compressione atque contusione incendatur, incensum pus concipiatur, et facillime, ob loci naturam collisui opportunam, ulcerosum euadat. Atque haec omnino mala eo certius contingent, si ab impetus libidinosi vehementia perinaeum sit displosum. Eodem in honesto lusu, ad easdem quoque rationes, angustum ani orificium eiusque fir-

D 2

mis.



missima bina repagula, si extrema violentia perfringuntur, sicuti iam suo narrauimus loco (§. IV. VII.), *fissuras*, *erysipelaceas inflammations*, *dilacerationes*, *exulcerationesque* sunt percessura: in quibus, si per diurnorem moram acre euaserit pus, expeditissimus in fistulosa ulcera erit progressus. A quorum ortu eo minus sibi cauere poterunt cinaedi, quo magis, vel sub ipsa prima reliquarum istarum laesionum initia, a paediconibus subigi se patiuntur, neque se adeo turpi subtrahunt ministerio. Atque hinc etiam variorum *adfectuum haemorrhoidariorum* descendit origo (§. cit.). Repetenti enim memoria ea, quae alibi (§. IV.) de vasorum sanguiferorum his in locis distributione disse ruimus, obscurum esse non potest, omnia ea, quae sanguinis per ima haec loca progressum retardant, redditumque ad superiores partes difficiliorem reddunt, certissime vari os *adfectus haemorrhoidales* esse excitatura. Proinde, cum *paedicatio* non solum has ipsas partes contundat comprimante, verum etiam, ut exposuimus, haud infrequenter *inflammationes*, *tumores aquosos*, *abscessus*, *exulcerationesque*, inducat, hac ipsa de causa impediri nequit, quin venarum in primis haemorrhoidarum, et ex his potissimum *externarum*, ora, circa extimum ani ambitum, in varices intumescant, quas *caecas vulgo vocant haemorrhoides*, mox cum leuiori tantummodo pressionis sensu coniunctas, mox, si inflammatio accesserit, insigniter dolentes vrentesque. Quid? quod si subinde exigua ista nonnullarum venularum ostiola hiauerint, modicamque sanguinis copiam, non sine aegroti cinaedi alleuamento, emiserint, tuncque temporis forte contigerit, ut in eundem pathicum denuo *obscenos* suos concussus repeteret *paedicator*: tum pro-

profecto omnia symptomata in peius ruent, et, quae iam detumuerant, tubercula varicosa cinaedi denuo, cum intolerabili saepe dolore, recrudescunt; immo, mutata fere natura, contractaque intus retentae coactaeque materiae duritie, in *condylomata* ista multiplicis forme generisque degenerabunt (§. VII.). Sollemnia haec iam antiquis temporibus cinaedorum fuerunt mala, variis nominibus, verbi causa, sicuum, cristarum, vuarum, mororum, mariscarumque, notata. Hinc etiam sua iam aetate **IVVENALIS**, dum acri sale eos perficit, *qui de virtute locuti Clunem agitant*, per ludibrium haec addit, scribens t): *Hispida membra quidem, et durae per brachia setae Promittunt atrocem animum; sed podice laeui Caeduntur tumidae medico ridente mariscae.* Neque tamen omnia condylomata, quae cinaedis ad anum fiunt, ex haemorrhoidibus enasci adfirmamus. Quippe etiam multae ex his verrucae ex papillulis nerueis, quae sub cute ad anum sitae sunt, nascuntur, si conquassantes paedicantium nisus partim superinie etiam cuticulam deterunt, partim succum, quo papillae haec aluntur, cogunt. Hac enim ratione necessario sequitur, ut extuberent papillae atque indurescant. Verum enim vero omnes hae, quas hactenus recensuimus, cinaedorum ex admissa paedicatione afflictiones ita sunt comparatae, ut ano, adeo sensili irritabilique parti, vehementissima inferant irritamenta, eumdemque his stimulis ad frequentes simulque irritos evacuandae alui incitent conatus. Quo in negotio cum sphincteres potissimum agant, haec incommoda, cinaedos quoque exspectantia, supra (§. VII.) *sphincteros* appellauimus *sphincterum tenesmoideos*. Quibus ex

D 3

ma-

t) In *Satyr*, II. vers. 11. seq.



malis, si diutius frequentiusque hominem exercuerunt, expeditissima ad *sphincterum paralyse*, ani procidentiam, spontaneasque excrementorum aluinorum reiectiones est via. Musculosae enim harum partium fibrae, si diurno aut frequenter repetito spasmo vexentur, partim de elatere suo plurimum perdunt, partim etiam, elanguescente sensim neruorum concursu, ita infirmantur, ut amplius officio suo recte conuenienterque satisfacere haud possint. Idem accidit detrimentum, sed longe priori peius, si paedicator cinaedo ita acerrime insultauerit, ut hae ipsae vicinaeque partes diffinderentur. Vnde denique et cinaedo aequae, ac paedicatori, variae diureos difficultates (§. VII.) enascantur, vel ex iis liquet, quae iam paullo ante (§. IX.) hanc in rem differimus. Atque omnibus his singulisque malis obnoxiae quoque fiunt feminae, posticae merdosaeque Veneri fauentes. In his autem ad haec haud raro anterioris partis, quae forte minori criminis patuit, *vaginae* nempe, tunica interna relaxata prolabitur: si ita vehementer posticam partem permoluerint paedicones, ut forte huius sphincteres virtute contractili delinquerent, aut adeo una cum perinaeo diffinderentur. Sphincteris enim vaginae ex ani sphinctere ortum, aliasque mutuas vtriusque huius partis coniunctiones luculentissime anatomici physiologique demonstrant u). Huius autem generis procidentia, licet non semper, frequenter tamen sterilitatem mulieri adfert; etiamsi postea legitimos experiatur Hymenaeos.

### §. XI.

Sed ohe! iam satis est! Pertaedet enim nos longior-

u) Confer illustris de HALLER Element. Physiolog. Tom. VII. Part. II.  
pag. 72. seq.

gioris morae, ad putidas huiusmodi latrinas, velut ad Augiae stabulum, consumenda. Suscepti enim consilii sum-  
mam expleuisse nobis videmur. Namque is profecto,  
qui non in suum proprium corpus tantummodo, sed in  
aliorum quoque corpora furit; sanitatem adeo multorum,  
immo etiam animi integritatem, funditus evertit; futu-  
rorum hominum seminia, in fertili idoneoque agro cer-  
tam generositatis fidem factura, in inertes sterilesque sulcos  
deponit; sibique adeo soli suisque libidinibus, non publi-  
cis viuit commodis: is profecto noxius et infestus erit rei  
publicae ciuis. Atque, qualem hic delineamus, talem ha-  
etenus demonstrauimus paedicatorem. Medicorum non  
est, sed eorum, quibus summum imperium omniumque  
rerum potestas est commissa, quibusque vera rei publicae  
salus curae esse debet cordique, non amplius tantum to-  
lerare nefas, sed seueris coercere poenis. Si quid tamen  
consilio principes iuuare possint medici, audiendus omni-  
no erit longe doctissimus Anglus, N. D. F A L C K: qui pue-  
rrorum corruptoribus, vt lasciuire desinant, testes vult  
exscindi x). Enimuero vereor quam maxime, ne irritura  
sit futurum hoc consilium, et eunicho quoque tantum su-  
perfore libidinis, quantum ad vitiandos alios requiritur.  
Circumspicite tantummodo principum aulas, lectores ve-  
ri honestique tenaces! in quibus eunuchi, vti satis inter  
multos constat, non solum delicatioribus in cantu flexio-  
nibus aures demulcent, verum etiam noctu ad alios transe-  
unt lusus, vel ipsa stipendia cole natibusque facientes. Er-  
go coercendo huic sceleri aliud efficacius dabo consilium.

Quod

x) In der Abhandlung von venerischen Krankheiten; pag. 470. edit. germ.  
Hamburgens. 1775.



Quod si nimirum paedicatores cinaedique monitis obsecundare nolint, et in scelestissimo amore persistere pergent,

*Lascivientes tunc pathici nates  
Caedi iubete, et reddite vindice,  
O principes! ementulatum  
Ense virum, sceleris tenacem.*









D

IN  
PAEDICATOREM  
NOXIVM ET INFESTVM  
REI PVBLICAE CIVEM



PRAESIDE  
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. MED. T.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. M.  
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQ.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEV.  
MEDICI HOC

DOCTOR  
HONORES

D. IVN  
PVBLICE

DAVIDES HENRI  
LVE



TRAJECTI  
E TYPOGRAPH

